

115.




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 193 4° (LN 1475 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 193 4° (LN 1475 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 193 4° (LN 1475 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 193 4° (LN 1475 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 193 4° (LN 1475 4° copy 2)



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 193 4° (LN 1475 4° copy 2)

DA-BOX

No 193.



= LN 1475

ex. 2



115.

OPUSCULO
DE
STVDIIS PETILO-

SOPHICIS ET RECOL-
GIE STUDIOSONE
ATINELLE

RECICATA

A
IOHANNES SYNINGIO

DE MEMORIA RE-TRICH-

STONIS RECOLLE-RE-TRICH-

STONIS RECOLLE-RE-TRICH-

AD PVL.




OPUSCULO DE

OFFICINA LILIO

BERGENSI

1780

N. 5. 101



175.
ORATIO
DE
STVDIIS PHILO-
SOPHICIS, THEOLO-
GIÆ STUDIOSONE-
CESSARIIS,

RECITATA

A
JOHANNE SYNINGIO,
PIÆ MEMORIÆ, S.S. THEO-
LOGIÆ DOCTORE AC PROFES-
sore in inçlyta Academia
Hafniensi, ante an-
nos xlvj.

**



EX OFFICINA LILIO-
BERGENSI.

ANNO

M. D. XCI.

OPTIMÆ SPEI AC INDO-

lis Adolescenti, LAGONI, honestissimi
civis Ripensis, CHRISTIANI
LAGONII Filio, S.

DVO sunt in primis, mi LAGO, quæ
obstant quo minus hodie, illi qui vulgo bo-
narum litterarum studiosi perhiberi vo-
lunt, verum studiorum finem ac professionis suæ
metam assequantur. Horum alterum in per-versa
studiorum ratione: alterum in prava morum as-
suetudine situm est. Neutrum, pro dolo, demon-
stratione proluxa aut exemplorū copiosa probatione
indiget. Ut enim de posteriore primum dicam, non-
ne luce meridiana clarius est, multos cum ipso fere
lacte, parentum nimia licentia, vitiorum semina ita
altè imbibere, ut nullis postea correctionum aut fe-
rularum pharmacis expelli aut ejici queant? Et
quid in late vulgo serpit contagiū corrupti sodalitiū?
Neq; certè minima est culpa præceptorum quorun-
dam qui præ detestabili Socordia ac Sorditudine
(ut cum Plauto loquar) posthabent omnem morum
disciplinam: & præclare se rerum suarum fategisse
arbitrantur, si pensum nescio quod prælectionum
diarum



115.
diurnum absoluerint apud suos auditores: atq; interim annuo eoq; satis largo fruantur stipendio. Quam movere Camerinam ad me non spectat. Reddant ejus rationem, ii quibus ea incumbit muneris sui ratio. Scripsi tamen universa illa de re quaedam ipso rerum usu & doctorum virgula censoria monitus, quæ si quando visum fuerit, edam: atq; Aristarchum & Catonem non improbum agam. Sed ad alterum solidæ Eruditionis adipiscendæ obstaculum transeamus. Illud, ut dixi, consistit in perversa discendi & docendi ratione, quam peperit in Scholis discipulorum pariter ac praeceptorum Incuria. Hæc pestis unde promanet: quàm late serpat: quantas strages edat, & quibus demum antidotis propulsanda sit, non est hujus neq; loci neq; temporis edifferere. Peculiaris hoc laboris opus: quod modum Epistola longè excedit. Unicum hoc succurrit monendum. Ut, quod grassantibus morbis Epidemiis Medici faciendum consulunt, hic quoq; sequatur liberalium artium studiis dedita juventus. Cognitis enim Labyrinthis CITO muteat institutum: & LONGE se

ab errorum de viis transferat toto conatu ad re-
ctum & salutare studiorum compendium seu metho-
dum, cui mordicus inhaereat & TARDE relin-
quat, instar Hirudinis, non missura cutim nisi plena
cruoris, ut inquit Horatius. Porro quae sit in singu-
lis artibus ac facultatibus, quas vocant, conno-
dissima studiorum ratio, à multis iam dudum ex-
plicatum est. In hac autem Syningij nostri oratio-
ne, hoc solum agitur, ut ostendatur, omnibus Theo-
logiæ candidatis necessarium esse Philosophiæ studi-
um. Quod ut patriæ nostræ studiosis, qui ferme
omnes hanc Penelopen ac sacrosanctam certatim
ambiunt sponsam, ut maxime necessarium, ita
pernicioso consilio à plurimis negligi ac flocci fieri
conspicimus. Bonum enim certamen se tum de-
mum decertasse autumant, ubi primis labris rudi-
menta artium dicendi in Scholis trivialis degu-
starint, ac inde statim (immense nefas) Ludi mode-
ratorum testimoniis, quasi bullis, ut vocant, qui-
busdam pontificiis muniti, in Academiis a volent.
Ubi quasi aliud agendo, aliquot postillarum, quas
ineptè appellitant, codices ac centones convasant, de
quibus

115.
quibus cum congerionibus suis in Symposiis ali-
quid velitando confabulantur, ut domum reversi
habeant quo se Thraſonico more venditent. Hoc
pacto subita metamorphosi multos, sed minime
probos videas subinde nasci Theologos: qui procul-
catis honestissimarum atq; utilissimarum artium
studiis, insulsissimi proſtent sanctissimi mysterii
pracones & verba pro concione fundant mera
Temeritate & Audacia. Atq; haec sunt Harpyiae
ista, de quibus conqueruntur reliqui obscuriore lo-
conati, quod bolum sibi e faucibus eripiant, Ele-
mosynarum videlicet & potiorum beneficiorum:
quum interea ipsi cogantur exemplo languidi octo-
decem annos frustra decumbentis ad Bethesdam
piscinam, expectare cum rustico Horatiano, dum
labitur annis: qui labitur & labetur in omne
volubilis ævum. Sed retraho me ultra septa
provectum. Ad te mi LAGO revertor: atq;
hoc levidense quasi viaticum tibi dedico: oratio-
nem hanc puta, reverendi & longe optimi ac do-
ctissimi viri Johannis Syringii. Quam si animo
attento, ut par est, legeris & tanquam Cynosu-
ram

A?

ram

ram aliquam in tuis studiis tibi sequendam propo-
sueris, non dubito quin magno tuo commodo opera
te præcium fecisse memorabile experieris. Audies
hæc eadem indies tibi inculcari viva voce præ-
stantissimi ac eruditissimi viri M. Petri Haggæi,
amici nostri integerrimi, ad quem te ex consilio
reuerendi tui patrui, soceri mei dilectissimi, iam
mittere constituit parens tuus carissimus. Ac-
cipe igitur hoc viaticum, mole quidem sua admo-
dum exiguum, sed usu & rerum pondere admo-
dum præciosum ac eximium: & cum Johanne
Vandalo condiscipulo tuo veteri ac cæteris popula-
ribus tuis in Academia Hafniensi solida eruditio-
nis ac virtutis studiosis, bonis aurbus communica.
DEVS pater Domini nostri IESV CHRIS-
TI, mundam faciet viam tuam, ut custodies
sermone ejus & viam veritatis eligas, cui per-
petuo insistas, in gloriam nominis ipsius, AMEN.
Ripis Phundusiorum Idib. Martii, Anno
Domini M. D. XCI.

Andreas Vellejus.

SI VO.

175. 4

SI VOBIS AUT SCHOLÆ CON-
suetudo ignota, aut mei mores pe-
nitus incomperti essent, viri doctissimi,
optimæq; spei juvenes, prolixius institu-
ti mei rationem reddendam esse existi-
marem, cur ipse ad dicendum huc publicè prodierim,
præsertim quum multi sint in hoc ornatissimo cœtu
viri excellentes & juvenes, qui majori & eruditione
& facundia præditi, felicius longè quàm ego has par-
tes tueri possint. Est enim non solum Temeritas, sed
etiam Injusticiæ pars quædam, sine vocatione ultrò in
publicis actibus locum occupare, quem alius non so-
lum ampliore fructu, sed etiam uberiore cum laude &
ornamento Reipub. teneret. Sed quum sperarem
vobis pro vestra æquanimitate & modestia, ingenium
moreq; meos ita probatos, ut non judicetis me stulta
quadam curiositate aut confidentia adduci, vosq; satis
intelligere ex publico officio, mihi pro more, dicendi
necessitatem impositam, longiore nolo excusatione
uti, sed hoc tantum mihi in primis censeo incumbere,
ut vobis omnibus immensas gratias agam, quòd huc
honoris nostri causâ, ut hæc primarum artium studia
ornaretis, convenistis. Delector enim maximè officio
hoc vestro, quo non solum benevolentiam, amorem ac
studium erga nos testatum vultis, sed etiam apertè si-
gnificatis vos honorificè sentire, de hoc publico pro-
movendi more, quem constat à majoribus nostris
doctissimis & prudentissimis hominibus ad publicam
utilitatem, non sine gravibus causis institutum & hac-
tenus conservatum esse, ut justo ordine discendi ad
solidam

solidam doctrinam instituerentur Reipub. causa, literis destinati. Etsi autem in his publicis spectaculis, tantum ludi imperitis agi videantur, tamen eorum finem, si quis intelligat verèq; reputet, comperiet inter publicè instituta, quæ civilitatem & ordinem in mundo conservant, nihil honestius, nihil sanctius esse hisce ritibus, in quibus illi, quibus gradus hi decernuntur, obligant se Reipub. ad fovendas & propagandas optimas & honestissimas artes. Hoc foedus & utilissimum humanæ societati & DEO summè gratum est, modò aucti hoc honore, officii sui magnitudinem animo mediantur, & pro virili munus suum tueri studeant.

Proinde quum officii ratio, mihi hanc scenam hoc tempore peragendam imposuerit, peto à vobis, ut me patienter & benignè audiatis. Institui enim non de parte aliqua Philosophiæ peculiariter dicere, sed tantum in genere mea oratione ostendere, Theologum qui docendæ & defendendæ religioni sit præfectus, ut suum munus perfectè tueatur, cognitione Philosophiæ opus habere. Tale enim argumentum mihi & locus hic & tempus requirere videbantur, ut adversus calumnias indoctorum hominum, qui bonas artes irrident atq; insectantur, præmunita juvenus publica oratione, ad studium & amorem veræ Philosophiæ incitetur atque inflammetur. Etsi autem præterquam quod ad religionis solidam cognitionem assequendam profint, multi alii fines sunt bonarum artium discendarum, quæ cum ad majores professiones, quibus Respub. conservatur, Medicinam & Jurisprudentiam adolescentes præparant, tum etiam ad politiam, disciplinam, honestatem

statem & leges retinendas necessariae sunt; Ipsaque propter sese Philosophia & optimarum rerum cognitio expetenda sit, tamen quia hujus Regni juventus literis destinata suorum studiorum scopum ac finem, ut plurimum Theologiam sibi proponit, putavi adolescentes nullo argumento alio magis persuaderi posse, ut studium ac operam suam conferant liberalibus artibus, quam si admoneantur finem propositum se assequi non posse, sine Philosophiae cognitione. Nam quum omnium Christianorum sit officium, hunc finem praecipue & acerrime intueri, ut studia sua ad juvandam Ecclesiam, quae ipsis parentibus nobis carior erit, & ad ornandam & propagandam gloriam Dei referant, certe & haec eadem causa maxime hortari atque excitare studiosos decet, ut summa cura, diligentia & assiduitate contentur perfectam & liberalem doctrinam sibi comparare, qua instructi integrius ipsi quid proposuerint, sacras literas discant, atque commodius & Ecclesiae inservire & gloriam Dei ornare ac propagare poterint. Quum ergo juventuti Scholasticae, quamdiu disciplinis Philosophiae exercetur, nihil utilius sit, quam animo finem suorum studiorum perspicere: (nam & maxime adamantur bonae literae, quum dignitas atque vis ipsarum artium conspicitur, & intelligamus quantus sit usus illarum ad veram religionem propagandam & ornandam) Decet vos optimi viri, qui Academiae praestis me aequo animo audire, ut vestra autoritas mihi adsit in causa, quam agendam suscepi, & spero vobis satis esse probatam. Denique apud vos quoque studiosissimi Adolescentes, quum a me hoc loco,

B

publi-

publico nomine hæc scena peragetur, tantum mea va-
lebit oratio, quantum autoritatis tribuendum esse cen-
setis huic celeberrimo confessui doctissimorum viro-
rum. Nam horum omnium summam ad vos refero,
qui quum vestris studijs optimè cupiant consultum,
non cessant adhortari vos ad ea studia, quibus & vestra
& Reipub. & Ecclesiæ salus atq; dignitas conservatur.
Ut vos eorū publica sententia adversus pravas opinio-
nes conservati, tandem statuetis vobis omnino opus
esse liberali eruditione, optimarumq; artium, quas Phi-
losophia profitetur, cognitione, si olim Ecclesiæ cum
fructu & laude inservire velitis. Nihil enim periculo-
sius Ecclesiæ & Rebuspub. esse potest inerudita Theo-
logia, in qua gravissimæ res inexplicatæ, confuso quo-
dam ordine ita miscentur, ut non solum nihil certi de
religione inde disci queat, sed magis conscientiæ per-
turbentur, atq; falsas & perniciosas Reipubl. opinio-
nes homines de maximis rebus concipiant.

Primum enim ut à minimis initium sumam, qua
ratione ipse aut Theologiam intelligat, aut alios ritè
doceat, qui artibus dicendi destituitur? Non enim
opinor quenquam adeo hebeti ingenio esse; qui aut
speret se in Theologia aliquid effecturum sine Gram-
matices integra cognitione, aut non facilè animadver-
tat, eum Chimeras citius pariturum, quam veram sen-
tentiam scripturæ assequatur, qui proprietatem ora-
tionis, Phrases & dictionum Figuras ignorat. Ut enim
in aliis disciplinis omnibus, ita & in Theologia usu ve-
nire necessarium est, ut ignorantes orationis & voca-
buloꝝ virtutes, juxta Philosophi sententiam facilè
decipi-

115.
decipiantur. Cujus rei documentum vel lapsus sum-
morum hominum, atq; falsæ opiniones de rebus maxi-
mis, tantum ob imperitiam sermonis, vel non animad-
versam Phrasim satis manifestum ostendunt. Sæpe
enim vis & natura unius dictionis vel ignorata vel sal-
tem neglecta integrum locum obscuriorem reddit, ac
novas & intricatas controuersias parit. Quam sæpe
etiam vel unius vocis proprietates rectè animadversa aut
explicata, non solum lucem, sed etiam ingentem con-
solationem & necessariam doctrinam lectori vel audi-
tori adfert & sæpè integras disputationes de religione
dirimit atq; dissolvit.

Porro quis non facilè dijudicat quam necessario
instrumento tractandæ scripturæ destituitur, qui Dia-
lecticæ rudis est, quum constet & ratione & experien-
tia maximè inter eruditissimos quosq;, nullius doctri-
næ constiui vel saltem intelligi posse ordinem aut me-
thodum, nisi adhibeatur Dialectica, quæ ad naturam,
partes, causas, effectus & fontes cujusq; negotij vel
controersie ordine inquirendo nos deducit? Ut
enim simplex est veritatis oratio, ita via etiam & ratio
simplex est, quam Dialectica monstrat, rectè vereq;
docendi, quæ rei cujusq;, de qua ritè docendi sunt ho-
mines, naturam, partes, causas, effectus, cognata &
pugnantia certo ordine patefacit ac explicat. Quam
qui non tenuerit, aut in docendo & iudicando non
observat, necesse est eum sæpè à scopo deerrare, falsa
pro veris arripere, interdum pugnantia asserere, mul-
ta inexplicata, quæ essent sejungenda, temerè misce-
re. Ita ut illius doctrina aut omnino tandem referat

B2

illam

illam Horatii monstruosam picturam, in qua nec pes
nec caput uni reddantur formæ, aut ipse interdum
ignoret, quid dixerit aut docuerit.

Sed scio hoc loco non defuturos, qui dicant christi-
anam doctrinam nulla ratione compræhendi, sed sine
demonstrationibus, tantum fidei & autoritati divinæ
inniti: Dialecticam verò ductum esse rationis, cui non
convenit scripturam explicare. Quibus hoc respon-
sum sit. Etsi Theologia, quod ad principia religio-
nis & fidei nostræ fundamenta attinet, rationem & na-
turam ipsam, à qua hæc ars animadversa & explicata
est, excedat, tamen quum ex his ipsis principiis, certæ
sententiæ & conclusiones justis formis consequentiæ
fluant, quod cernere licet in illis præcipuè locis, ubi de
justificatione, aut aliis articulis methodicè docetur; fa-
cile judicari potest etiam ad solidam scripturæ cog-
nitionem assequendam, & ad ejus veram interpretatio-
nem, Dialecticam conferre. Maxime enim ut in aliis
rebus, ubi veritas ipsa inquiritur, ita & in religione una
& simplex, per quam veritas & certa rei cognitio pate-
fit, docendi ratio sit, constans definitione, divisione &
rectè argumenta connectendi peritia. Quæ tria quum
Dialecticæ tibi instrumenta suppeditet, constat eam
etiam in causâ religionis, de qua ritè docendi sunt ho-
mines, necessariam esse. Epistolâ D. Pauli ad Rom: &
eam quoq; , quæ ad Galat: scripta est (in quibus caput
doctrinæ Christianæ, articulus justificationis exacta
docetur Methodo) qua ratione hujus artis imperitus
aut planè intelliget, aut aliis rectè enarrabit, quum neq;
feriem orationis, nec argumenta illic, non sine artifi-
cio pro-

115.
cio proposita, sed tamen sub Rhetorica orationis forma occultata, videre aut connectere, connexaque quomodo cohæreant judicare poterit. Si verò eam scripturæ partem, in qua summa seu Methodus doctrinæ Christianæ traditur, non ritè aut satis assequatur, infeliciter etiam cæteros scripturæ locos tractabit.

Et ut maximè scripturam interpretari, aliosq; utcunq; docere sine differendi peritia quis possit, tamen quum ei pro suo officio etiam adversarius doctrinæ christianæ resistendum sit, non satis assequor, quo pacto cum iis aut tutò aut circumspectè congregari poterit, nisi instructus hac arte, quam etiam illi ipsi veritatis oppugnatores sumo studio didicerunt ad opprimendam Evangelij lucem, quibus certè resistere commode non possumus, nisi teneamus certam rationem disceptandi de quæstionibus ac controversiis. Ut enim gladiator tunc, & fortissimè ac facillimè antagonistæ suo resistit, & ictus intentatos prævidet, quum & paribus armis & eadem arte utrinq; instructi sint: ita cum iis, qui falsa nos doctrina adoriuntur, nec facilè nec legitime certaverimus, nisi arte, qua illi, etiam nos pro veritate tuenda instructi simus. Jure ergo & utilem & necessariam ei esse, quem instituimus, Theologo judicamus Dialecticam. Cui fortasse nimium tribuisse hoc loco viderer, nisi & veterum orthodoxorum auctoritas, tum etiam Augustinus ipse, cui non immeritò inter scriptores Ecclesiasticos primas tribuunt doctissimi quiq;, hanc meam sententiam comprobaret, qui quum in multis locis cõmendet hanc artem, tum verò in libro de doctrina Christiana commendat maximè.

Disputationis, inquit, disciplina ad omnia genera quaestionum quæ in literis sacris sunt penetranda & dissolvenda, plurimum valet.

Jam verò etiam Rhetorica summum ministerium Theologiæ præstat. Nam ut Oratoribus in foro concisa illa & Dialectica orationis forma multum uti non licet, si vulgus in suam sententiam studeant pertrahere: Ita & Doctores in Ecclesia, quum etiam apud imperitos & indoctos habenda est oratio, quos non tantum de religione breviter ac Dialecticè docebit, sed etiam exhortationibus, autoritate, & dicendi viribus in officio retinebit; non satis jejuna illa & concisa forma sermonis scholasticis disputationibus similis, in qua tantum nudas propositiones, argumenta quæ nuda proponat, sed arte quadam & dicendi magna copia opus habet, ut planè ab indoctis auditoribus intelligatur, quos nisi delectatione sæpe attraxerit, & viribus tractos affectibusque turbaverit, quæ justa ac vera sint, ut inquit Fabius, non tenebit. Etsi enim in oratione præcipuæ partes & quasi fundamenta sint propositiones & argumenta justo ordine & Dialecticè connexa, quibus docti fortassis facillè ad assentiendum veritati satis moventur, tamen quum ea naturæ sit imbecillitas, ut cogitationes plerumque majores sint iis, quæ dicimus, quemadmodum in corpore si formam aliquam habeant, non solum ossa, venæ & nervi necessaria sunt, sed & carne, cute & vivis coloribus nervi & ossa sunt occultanda: Ita etiam ad brevitatem illam Dialecticam, ad propositiones & principalia argumenta, elocutionem, splendorem, & copiam verborum & sententi-

tentiarum addat concionator necesse est, si aut ab indoctis intelligi velit, aut id quod cupit, aut quod æquum est, apud imperitos & duros interdum dicendo assequi velit. Quum ergo hæc quæ docentur in scholis, Rhetorices præcepta, disponendæ orationis & eloquendi rationem præscribant, ideoq; tradantur ut nos quemadmodum in studijs & imitatione aliorum, ita & in scribendo ac dicendo nostras cogitationes gubernent, manifestum est, & hanc artem plurimum Theologiæ candidatis conferre. Ostendi hactenus Theologum sine dicendi artibus suum munus satis tueri non posse. Nam ut maximè sine dicendi ratione aliquantulum in ea professione progredi quis possit, tamen quum instrumento, quo artificium suum exercebit, videlicet sermonis noticia & tractandi ratione careat, verè claudimòre pilam, retinet illam qualemcunq;, quam assecutus est, doctrinæ opinionem.

Dicam nunc de altera Philosophiæ parte, quæ Physiologiam & Mathemata complectitur, quam pleriq; (ut maximè tribuant aliquid dicendi artibus, quas experiuntur se carere non posse) inutilem & planè nihil Theologo conducere putant. Quorum sententia, quàm nullis nitatur fundamentis, facile res ipsa demonstrabit. Primum enim qui mediocri lectione in sacris literis est versatus, ipsa experientia novit, passim in Prophetis, Psalmis, & Historiis sacris plurimos esse locos ex intima natura desumptos, quos nemo intelligere aut satis explicare poterit, nisi Physicam, quæ hujusmodi res integrè tractat, consuluerit. Sæpe Prophetæ, sæpe etiam Apostoli, subinde & ipse Christus probatio-

bationes & similitudines ex rebus naturalibus sumit, quarum explicatio Physicam omninò rationem desiderat. Paulus ad Rom: cap. 12. & ad Cor: eodem, quum Christianos ad unitatem & mutuam benevolentiam hortatur, ut dona sua conferant ad communem Ecclesiæ ædificationem, comparat Ecclesiam corpori humano, singulos autem Christianos membris illius corporis. Hanc comparisonem nonne intelligat longè perfectius & eruditius quàm indoctus aliquis aliis proponet ac explicet, qui ex anatomia dispositionem, usum ac connectionem singularum partium nouerit? Quomodo ex cerebro tota vis mouendi & sentiendi per nervos in alia membra diffundatur, atq; ex ventriculo & jecore per venas in omnes partes corporis nutrimentum ipsum, quo totum corpus alitur & conservatur, distribuitur? Quomodoq; unumquodq; membrum operam & officium suum ad cæterorum & totius corporis conservationem & salutem confert. Et si autem hanc rationem de usu partium & membrorum dispositione ac cohærentia Medicina sibi iure quodam vindicat, tamen quum & medici sua principia pleraq; ex Physicis desumunt, eam sub scientia rerum naturalium compræhendo.

Quis autem non valde delectatur illa erudita similitudine, qua Philippus Melancthon occasione ex Prophetis sumpta, in locis Theologicis cap. de Politia Ecclesiastica, confert Ecclesiam alio materno, qui factum continet: Venis verò, quæ undiq; in alvum deductæ sunt & foetum alunt, ministerium verbi, quo regenerantur & aluntur pii, assimilant, atq; pelliculæ, quæ

119.
quæ foetum circumdant, politiam Ecclesiasticam atq;
externam illam ac ratam ordinis conservationem ab
Ecclesia propter ministerium verbi institutam. Quæ
etsi per se pietas non sit, tamen vinculum quoddam
est, conjungens nos Ecclesiæ, & verbi ministris, vt
quemadmodum cætera membra Ecclesiæ, nutriment
to divini verbi alamur. Hac pictura, quæ nos de ma-
ximis negotiis admonet, quid dulcius aut quid jucun-
dus homini Christiano? Jam verò quum & ipse Da-
vid, Job, Moses & alii nunquam non divinam poten-
tiam, sapientiam, prudentiam, bonitatem & benigni-
tatem erga nos in creaturis contemplandam propo-
nant, nonne longè certius ab iis intelligantur, qui
ex Phisicis & Astronomia conditiones, vires, motus
& mutationes atq; utilitates rerum naturalium scruta-
ti sunt, quàm qui nullam harum rerum peritiam ha-
bent? Ut interim nunc non dicam quantum ipsa
per sese rerum naturalium contemplatio, & fidem de
DEO in piis confirmet, & reverentiam erga DEUM
alat atq; adaugeat. Quis enim non assequitur eos ho-
mines, qui ex Mathematicis disciplinis cognoscunt
magnitudines, effectus, motus ut longè diversissimos,
ita etiam ornatissimas corporum cœlestium, Solemq;
illum, quo quotidie fruimur, tota terra majorem esse,
quiq; animadvertunt in minimis herbulis, in plantis
atq; in singulis rebus esse singulares virtutes ac dotes
inditas eis divinitus, ad usum & cōservationem hu-
mani generis, magis in admirationem & amorem,
ipsius DEI incitari, quàm qui harum rerum notici-
am majorem, quam pecus habent, non assecuti, præ-
stan-

C

stan-

stantissimas illas creaturas pecuinis oculis contem-
plantur? Quare si alias hæc scire convénit, multo
magis Theologiæ professorem eadem prorsus ignora-
re non decet: præsertim quum necessitas sæpe natu-
ralium rerum cognitionem & usum desideret. Con-
stat itaq; Theologo multa ex Physicis mutuanda esse,
ut suum officium commodè & tueatur & exornet.
Quàm sæpe enim opus habet doctissima illa causarum
partitione, quæ tantum à Physicis petenda est, in mul-
tis, scripturæ locis explicandis: ut quum Christus di-
cit: non veni mittere pacem sed gladium. Item quum
Paulus legem peccatum adaugere, mortis administra-
tionem esse confirmat, horum & similibus locorum
sententia, ut rectè & usitatis verbis dilucidè exprima-
tur, necesse est tenere discrimen illud Physicum inter
causam propriam, & impropiam, siue per accidens.
Deniq; quum aut de lege naturali aut de viribus liberi
arbitrii & affectibus in sacris agendum est, nequaquam
satis te expedies nisi tenueris disputationem illam de
potentiis animæ, de sensibus & affectuum causis, nec
non & divisionem illam, quæ animum hominis in no-
ticiam & vim appetendi, dividunt. Jam verò & histo-
riæ & computationes temporum in iis sumopere con-
siderandæ. Deinde & locorum variæ descriptiones,
quæ passim in literis sacris extant, requirunt & Geo-
graphiæ scientiam & numerandi cognitionē aliasq;
Mathematicæ partes, quæ Physicæ annumerantur.

Postremò neminem etiam mediocri iudicio præ-
ditum esse opinor, qui non & vltimam Philosophiæ
partem Ethicæ, Theologiæ studioso profuturam in-
telligat,

119.
telligat, multasq; partes doctrinae Christianae facilius tractare posse, instructum hac arte, quae descriptiones virtutum continet. Nam quum in Christianorum coetu saepe homines ad civilitatem, disciplinam, ad iusticiam in contractibus atq; ad caetera virtutum officia & politicas ordinationes retinendas cohortandi sint; multum adjuvatur concionator hac parte, cum rebus ipsis, tum propter Methodum atq; ordinem in Philosophia praescriptum. Etsi autem virtutum & officiorum nullum utilius compendium, nullaq; aptior Methodus inveniri potest, quam Decalogus ipse, si tantum nudorum praecceptorum ordinem inspicias, tamen ubi fontes caussarum, partitiones & effectus virtutum inquiruntur, uberio rem Methodum tibi Philosophicae literae ostendunt. In quibus etsi quaedam, per omnia verae religioni non consentiunt, tamen multum delectat videre quousq; ratio progredi potest, multumq; collatio ipsa potest. Ut enim color in veste rectius perspicitur, quum ipsa ad aliam fuerit collata; ita doctrinam Christianam clarius intelliget is, qui cum Philosophia confert, & quid discriminis inter utramq; pervidet. In summa: ipsa & ratio & experientia monet, perfecto Theologo non satis esse tantum Grammaticae & Dialectices rudimenta percepisse, sed etiam plurimarum rerum, optimarumq; artium cognitione atq; diligenti exercitio in multis Philosophiae partibus ei opus esse.

Nam quum duo praecipue sint instrumenta, quibus ad recte erudiendos homines, ad propagandam & retinendam in terris veram religionem necessario uti debent,

debent, nimirum Methodus ipsa: & perspicua, sibi constans & bene consona oratio; atq; ad hæc comparanda, cum varia & multiplici doctrina, tum etiam longa exercitatione in bonis literis opus sit, luce clarius est liberali eruditione & usu bonarum artium, Ecclesiæ ministros atq; doctores non mediocriter adjuvari, ut cum fructu & laude suo officio perfungantur. Ut enim una hirundo ver ipsum in foribus statim adesse non certò pronunciat: Ita semel tantum audivisse, Dialectices præcepta facit artificem Methodi, quam nemo satis intelligere, nedum ejus usum consequi poterit, nisi sedulo & diligenter se exercuerit, præsertim in eo genere Philosophiæ, in quo justo ordine & ratione veritas magis inquiritur ac illustratur, quàm ingenii ostentatio aut voluptas tantum quæritur, quod genus vel soli vel imprimis Peripatetici profitentur. Qui enim ex Philosophiæ studio atq; Methodica exercitatione hoc instrumentum comparavit, videlicet usum revocandi res ad Methodum, secum ad religionis doctrinam attulerit, multo & felicius ipse in causâ progreditur & in docendo, in negotiis & controversiis religionis Methodos instituere, confusa atq; dispersa in ordinem redigere, intricata explicare & obscuris lucem adferre novit. Deinde ad eloquendi facultatem haud pauciora requiri manifestum est. Siquidem justæ orationis forma non ex præceptis tantum, quæ in Rhetorica traduntur, comparari potest, sed ex longo usu, & multarum maximarum rerum cognitione & eruditione gignitur.

Nec

113.

Nec verò est quod obiiciant quidam fortassis aliqua ratione moti, doctrinam Christianam olim & contaminatam & ferè obrutam esse Philosophorum decretis argutis ac disputationibus, proinde nobis majorum exemplo admonitis, abstinendum omninò à Philosophiæ studio, ne nobis aut posteritati idem, quod illis majore cum periculo & culpa nostra usu veniat. Quorum quidem admonitionem ut pio fortè zelo profectam, accipere & in meliorem partem interpretari possemus, si non propter abusum rem ipsam penitus esse tollendam censerent. Agnoscimus quidem, id quod infelici experientia esse verum didicimus, plurimos & perniciosos errores in Ecclesiam irrepisse, quum quidam temerè Philosophiam aut potius argutias & caullationes suas cum doctrina Christiana miscerent. Nec nobis incompertum est, multas pestes Christianæ religionis ex Physicis opinionibus suboriri, quum temerè extra sæpta & in alieno foro vagentur. Ob quam etiam causam, D. Apostolus eò diligentius cavendum esse præmonuit, ne quis nos decipiat, per inanem Philosophiam. Quare primùm omnium longè discernendum est inter veram Philosophiam & caullationes atq; deliramenta Sophistarum, cujusmodi sunt non tantum scholasticorum argutiæ, sed etiam Epicurei & recentiorum Academicorum & similium dogmata, quæ cum in animos hominum irreperint, non solum pietatem ac religionem perturbant, sed etiam honestatem disciplinam & judicium omne pervertunt. Non enim omnes omnium hominum de quibuscunq; rebus stultas opi-
C 3 niones,

niones, philosophiam vocamus, sed illam tantum,
doctrinæ partem hoc nomine dignamur, quæ quum
de rebus rationi subjectis tantum loquatur, certas de-
monstrationibus sibi fidem facit.

Præterea quum studium Philosophiæ cum Chri-
stianis literis conjungendum esse dicimus, nequaquam
ea ita commisceri atq; confundi volumus, quasi non
sint duo divisa doctrinarum genera: Sed Theologum
ex his artibus & Methodum, & orationis formam
mutuari, multaq; ad suum propositum explicandum
ex Philosophia desumere posse, dummodo id libe-
re & cum iudicio fiat. Non enim ita jurandum no-
bis est in Philosophorum verba, ut nobis religio sit
ad his dissentire, aut eorum decreta damnare, quum
id pietas aut scripturæ autoritas postulat. Procul
enim, procul omnibus Christianis fugienda est illa,
antiquorum superstitio, qua hominum Philosopho-
rum decretis ita addicti esse ceperunt, ut piaculum
esset ac plusquam hæresis, quidquam etiam in cau-
sa religionis ab Aristotelicis sententiis diversum sen-
tire. Quæ res non solum nobis multas inutiles
quæstiones, sed etiam maximas Ecclesiæ pestes atq;
infinitos errores peperit. Nam quum paulatim
invasisset Ecclesiasticos ambitiosa, rixandi libido,
tandem eò perventum est, ut in mediam Theologi-
am totus sit ita receptus Aristoteles ut apud pleros-
que illius sanctior esset autoritas, quam Prophetarum,
Apostolorum atq; ipsius Christi. Si quid enim
sacræ literæ continerent non consentiens Peripa-
teticorum opinioni, commoda interpretatione miti-
gandum

113.
gandum aut deflectendum esse potius, ne pugnaret cum Aristotele, quum interim crimen læsæ Majestatis esset leviter refragari Aristotelis decretis. Hoc verè erat Lesbia regula uti, non Aristotelem Christo, sed Christum Aristoteli conciliatum accommodare. Quare non ut Dominam, sed ut hospitem vel ancillam potius Christianis in familiam adsciscendam esse Philosophiam meminerimus. Cujus nulla autoritas, nullumque jus sit agendi vel statuendi quidquam inter Christianos contra sensum divinæ scripturæ, quæ domina & regina omnium disciplinarum nobis præ cæteris adamata esse debet. Serviat ancilla & pro imperio reginæ, suam operam præstet, quantum faciat ad utilitatem & ornamentum Ecclesiæ, ac familiæ Christi, quam si turbare cœperit, cædat illa prius, immo in ea parte ejicienda atque damnanda potius est, quàm divina scriptura quidquam de suo jure concedat. Quam libertatem si pro jure suo rectè usurpassent majores nostri, non solum non contaminata fuisset doctrina Christiana, Philosophorum decretis, sed bonarum artium, quas Philosophia continet, adminicula & propagata & illustrata fuissent, dummodo ipsi Philosophiam & integram & puram tenuissent, quos constat neglectis propemodum (quantum ad usum attinebat) dicendi artibus, novas argutias & quæstiones non necessarias neque utiles nimium fuisse secutos, quum tamen sine his artibus, quæ formam orationis præscribunt, nemo cõmodè unquam in ulla disciplina progredi aut feliciter versari potuerit. Ob quod ipsi expertes rationis dicendi, quum ad superiores professions & ad Theo-

ad Theologiam se conferrent, atq; vera Methodo, cu-
jus nullum usum sibi prius ex sua Philosophia parave-
rant, & iusta dicendi ratione carerent, se in sua pro-
fessione ita explicare non valebant, quin multa in-
explicata confunderent. Unde falsæ opiniones &
errores & laquei animorum sunt exorti, adeo ut vel
me tacente, experientia ipsa satis admoneat quantum
mali habeat inerudita Theologia, illorum qui sine di-
cendi artibus, sine Methodo, nulla liberali doctrina
instructi & exculti, sacra tractent.

Vos itaque, optimi juvenes, nomine omnium
præceptorum vestrorum, quos hîc assidere cernitis,
moneo atq; adhortor, quum studiorum vestrorum
finem honestissimum, videlicet divinæ veritatis pro-
pagationem vobis proposuistis, ut propter gloriam
Dei & Ecclesiæ salutem, summo studio summaq; ani-
morum contentione, in has honestissimas & utilissi-
mas artes, quas Philosophia profitetur, discendas in-
cumbatis, ut tandem perfectam & solidam doctrinam
consecuti, Ecclesiæ Christi, quam suo sanguine acqui-
sivit, & usui & ornamento esse possitis. Cogitate
quantum periculi immineat & Ecclesiæ & patriæ ve-
stræ quarum utraq; vobis ipsis progeniotribus charior
esse decet. Quantæ etiam calamitates vos manent,
si vestra negligentia & culpa interciderint optimæ &
honestissimæ artes & pristina barbaries rursus Rem-
pub. ita invaserit, ut iis, qui nunc sunt, Ecclesiarum
rektoribus, succedant homines ineruditi, qui restitu-
tam, divina gratia religionem iterum dissipabunt.
Siquidem quum veris docendi instrumentis careant,
illorum

115.
illorum oratio atq; doctrina non potest non magnam
confusionem parere. Confusio autem, ut vetus est
proverbium, errorum mater est & dissentionum, quæ
in finitis conscientiarum laqueis faces sunt præbituræ.
Et quia nihil animos hominum æquè cruciat, atq; hæc
de religione dubitatio, ex qua explicari non possunt,
tandem tædio Lucianico aut quadam diffidentia to-
tam religionem contemnunt.

Hæc Ecclesiæ timenda facies vos satis armabit,
ut obturatis auribus, istorum voces contemnatis, qui
judicant in Christianis rebus pub. nec necessarium, nec
utile esse studium Philosophiæ & liberalium artium.
Etsi enim ex his non discitur vera pietas, neq; divinam
scripturam ullus intelligat, cujus mentem Spiritus san-
ctus non aperuit, tamen quum Spiritus S. per verbum
doceat, sermonis rationem cognoscere necessariū est.
Plurimum enim vegetant atq; conformant tenera in-
genia, atq; ad divininarum scripturarum cognitionem
mirè præparant; adeo ut qui studio festinandi ad su-
periora, illas prætermiserit, is operam & oleum suo-
rum laborum certò amisurum se sciat, ut nulli usui po-
stea in Ecclesia aut repub. esse possit. Quare etiam
DEUS singulariter multis insignibus donis ad amo-
rem horum studiorum prouocavit, suscitatis passim
doctissimis viris quorum opera, diligentia & indu-
stria literæ & honestæ disciplinæ vobis restitutæ &
illustratæ sunt, ac ita crevere, ut quasi ad summum fa-
stigium deductæ videantur, ac nemo ad optimas ar-
tes parandas sibi periculosum esse aut difficile iter ju-
re conqueri possit.

Quæ res meritò deberet ho-
D mines


mines excitare, ut obviis, quemadmodum dicitur, ulnis, DEI beneficia amplecterentur, foverent atq; propagarent, ut etiam ad posteros cum foenore transferri possent. Sed mundus ut semper optimis quibusq; donis DEI ingratus extitit, præsentia & oblata fastidians, qui deinde negata frustra desiderat: Ita etiam hoc tempore, erga literas divino favore in lucem revocatas, suam ingratitude manifestè ac impiè prodit.

Quare vos qui metam hanc sanctissimi cursus conamini attingere, saluberrimis monitis præceptorum vestrorum & fidem adhibete & obtemperate, ut firmiter statuatis præcipua instrumenta tractandæ religionis, nimirum Methodum ac formam orationis liberalemque doctrinam vobis ex Philosophiæ studio comparandas esse, si integram vestram operam Ecclesiæ polliceri ac præstare velitis: maxime quum non solum nostri temporis doctissimi homines, sed etiam veterum orthodoxorum, excellentium virorum & exempla & exhortationes ad eadem studia vocent. Nam & Basilius, Cyprianus & Augustinus, aliiq; magni nominis Theologi suadent Christianis, ut ex gentilium scriptis apiculæ exemplo, succum salutarem hauriant optimarum scilicet maximarumq; rerum cognitionem, atq; Ægyptiis spoliis templum Domini & ornent & locupletent. Est enim profectò magnum in Ecclesia ornamentum & præsidium liberalis eruditio cum pietate conjuncta. Quum enim neq; plura neq; meliora scire quemquam oporteat, quàm Theologum, convenit cunctis, illarum artium, qui maximas
& uti-

115. 14
& utilissimas res in vita continent, imperitum non esse. Ab hoc nunquam non, consilium de maximis rebus petitur, hic non modo de privatis moribus, sed etiam de publicis legibus & maximis negotiis in vita, quoties conscientiae res agitur, dijudicat. Quibus rebus, ut par est, uberior quaedam & locupletior requiritur doctrina, quam vulgo putant. Ut ergo jam finem orationi meae faciam, qui in eo loco tanquam in statione collocati estis, optimi adolescentes, ad bonas literas discendas, ut quum necessitas postulaverit, vestra opera Respub. & Ecclesia utatur ad propagandam & defendendam veritatem, justitiam & religionem; omnes curas, cogitationes, studia & labores vestros eò dirigite, ut liberalem & solidam doctrinam comparetis, & vobis & Reipub. usui futuram. Hoc studio nullum obsequium, nullum sacrificium DEO gratius esse potest. Quod si sedulo ad gloriam DEI secuti fueritis, etsi mundus ingratus, contemptum, paupertatem & famem minabitur: tamen

DEUS sine dubio aderit vestris laboribus
& iis benedicet; vosque vicissim juxta
sua promissa glorificabit.

DIXI.



D 2

EXTAT ELOGIUM VIRI DIVINI, D. Philippi Melanctonis, tributum huic nostro Syningio, quod quum uni-verso Regno Dania ac serenissimo Regi Christiano III. sanctæ memoriæ &c. admodum sit honorificum, hoc loco ad-iicere visum fuit. Reperitur autem in Epistola quadam ad dictum Regem, præmissa operi Bucolico D. Erasmi Lati, edito Vittebergæ, Anno Domini M. D. LX.

Gaudeo verò doctrinis & Musis, quæ alibi horribili sævicia dilacerantur, tamen in Dania & hospicia & Hælyonia mediocria restare. Nec facile Regnum ullum hoc tempore majore frequentia eruditorum antecellit. Quum mihi interdum in memoriam venit clarissimus vir Johannes Syningius, quem & nos in hac Schola unicè dileximus, & ante aliquot annos in patria ob eximiam eruditionem ac pietatem, Testimonio Doctorum in Theologia ornatum audivimus, non possum equidem non dolere, tam utilem Regno atq; Ecclesiæ Christi virum, tanto ætatis flore tan-
taq;

115. 15

taque omnium nostrorum expectatione e medio abreptum esse: cum non doctrina tantum, ingenio, studiis ac diligentia Conterraneos suos omnes longe superaret, verum etiam Modestia atq; Integritate ita probaretur universis, ut nihil penè me ex illa terra, quod quidem ingenii præstantiam morumq; suavitatem attinet, excellentius vidisse recordari possim. Quanquam & Palladii labores ac diligentiam novimus, & in docendo rectitudinem meritò prædicamus: Tamen quum & multos adhuc in Regno Majestatis tuæ præclare eruditos esse sciam, & plures propediem futuros sperem, qui doctrina commendari mereantur, comprimis certè lætor. Hanc ad rem dulcissima pax, & tua munificentia dignissima bono Rege plurimum conducit. *Phil: Mel:*

Sunt præterea alia multa, quæ de Syningio quasi Epigramatis vice commodè hic poterant addi: nimirum de patria ipsius, de toto studiorum felici curriculo, deq; scriptis ejus & ipso vitæ exitu. Quæ sanè alio loco à nobis commemorabuntur, ut incitamenti loco erint studiosis honestarum artium. Nunc tantum tumulto, qui hodie, præ dolor, penè ignoratur, versus ascribemus Epitaphios.

D 3

IN

IN TVMVLVM OPTIMI PARI-
TER AC DOCTISSIMI VIRI

Johannis Syningii, qui obiit Haf-
niæ Anno Domini

M. D. XLVII.

*

*In me tela vnum duo congesse inimici,
Atq; adfixerunt corpus hic, ille animum.
Ingenium Mæror studiis superabile nullis
Fregit, sed vires pestis acerba lues.
Vtrumq; a Christo accepi, cui reddidi utrumq;
Hoc Salvatore est reddita utriq; salus.*

A. Vellejus F.



113.

16

IN TVMVLAM OPTIMI PARL
TER AC DOCTISSIMI VIRI


Johannis Struensis

ms. 1475 4°

A. 1475

In nomine domini Amen
Hic incipit liber primus
de rebus et personis
quibusdam in civitate
Tumulae sitis
et de iuribus et
privilegiis eorum
quod a rege et
nobilibus concessa sunt
et de aliis rebus
ad quos pertinet
et de iuribus et
privilegiis eorum
quod a rege et
nobilibus concessa sunt
et de aliis rebus
ad quos pertinet

A. Vellejus F.



113.

A12551 MICRO